

venit, ut nos exaltaret; relictis in cœlo angelis, oves perditas quæsit, pastoritio indutus sago, per sentes et spinas currendo, nec commisit hoc opus angelo vel alteri servo suo. Quis non amet tamen Dominum? Quis non ad nutum ei serviat? Hoc enim est, quod admirabundus dicere voluit Thomas: *Dominus meus et Deus meus!* quasi diceret: Tu me quasi ovem perditam pastor quæstivisti; quare vicissim ex intimis animi præcordiis te diligo et veneror, velut Dominum meum, Deum meum, patrem meum, qui vitam mihi perditō reddidisti.

II. Quia noster cibus, isque nobilissimus, nobis proprius, et proportionatus corpori et animæ, dum sub visibili specie seipsum dat in alimentum animæ nostræ. Unde Ecclesia canit: *Convalescens in edulium*, se nimirum dedit. Cibus Hebræorum in deserto proprius fuit manna, per quadraginta annos; quem proinde de cœlo lapsum, velut ingens beneficium, merito admirati sunt, clamantes: *Manu quid hoc?* Quasi nescirent illum proprio nomine appellare præ reverentia, appellaruntque *panem angelorum*; non quod in illo angelus aliquis contineretur, sed quod panis esset delicatissimus et angelis dignus; ita ut si angeli comederent, non alio pane vesci deberent, et quod ab angelis confectus fuisset. At vero cibus et panis noster supersubstantialis non solum a Christo conficitur, sed ipsum etiam continet. Unde David cibum hunc velut ineffabilem, non potuerit effari, sed præcise ait: *Parasti in dulcedine tua pauperi, Deus*, Psal. LXVII. Quid paravit? Tacet, quia tam sublimis est; tamque nobilis et delicatus, quem paravit panis, ut effari eum non potuerit. Inde forsā etiam antiqui patres et Christiani nominare eum non solebant præ reverentia, uti S. Augustinus illo subinde verbo eum insinuans: *Norunt fideles*; et S. Chrysostomus: *Novistis vos, fideles estis*. Miratur David, Psal. VIII. quod nobis Deus omnis generis creaturas subjecerit, et in escam ac potum dederit: *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum! Quid est homo quod nemor es ejus? Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves universas, insuper et pecora campi, volucres cœli et pisces maris*. Sed nihil sunt ista respectu ipsius creatoris, qui seipsum nobis in cibum dedit. Hunc panem quotidie petimus, velut nostrum in oratione Dominica. Unde Sanctus Cyprianus, in exposit. illius ait: « Panis vitæ Christus est, et panis hic omnium non est, sed noster est: et quomodo dicimus: *Pater noster*, quia intelligentium et credentium pater est: sic et panem nostrum vocamus, quia Christus noster (qui corpus ejus contingimus) panis est. » Quare qui hunc panem abominantur, ostendunt se

vicinos esse morti et perditioni, quemadmodum ægri, qui escam omnem, alioquin dulcem, aversantur. Graviter certe puniti sunt Hebræi, quod nauseam ceperint illius manna, quod figura tantum nostri panis erat: quanto magis punientur, qui nostrum aversantur? Deinde, dum illi manna comederunt, non erat in tribus eorum infirmus. Nos infirmi sumus, quia obliviscimur comedere panem nostrum. Ad hæc quo delicatior et nobilior est cibus, eo delicatiora et nobiliora fieri ea, quæ illo nutriuntur, animantia solent. Patet in ephēbis Nabuchodonosoris (extra miraculum) e regia mensa nutritis; patet in pecoribus, quæ tanto sapidiorem et teneriorem carnem acquirunt, quo nobiliora terunt pasua. Itaque qui sanctitatem obtinere vult, crebro et digne ad hoc epulum veniat. Denique, sicut manna non est datum priusquam farina Ægypti consumpta fuit, defecit vero ubi cœperunt comedere de frugibus terræ, Jos. V. sic cibus iste non sapit, nisi quibus sæculi deliciæ viluerunt.

III. Quia nostrum pretium seu lytrum ad redimendas animas nostras e peccatorum debitis. Unde Ecclesia: *Semoriens in pretium*. Immensum hoc et inexplicabile etiam est beneficium Christi, quo se in mortem tradere voluit, ut a morte nos redimeret. Quid enim, si quis capitis reus in vinculis detineatur, quid non dabit pro redemptione et vita sua? Darius Persarum rex Alexandro Magno, pro captivis matre et duabus filiabus redimendis, obtulit triginta millia talenta. Non sufficit Alexandro: addidit quidquid terrarum circa Euphraten esset. Necdum sufficit; adjecit se ei filiam unam daturum in matrimonium. Nihil effecit; filium Ochum obsidem spondidit. Frustra erat; quia scilicet Darius necem ei per medicum machinatus fuerat; regnum Persarum habere voluit, Curtius et Plut. in Alexandro. Peccator in tali captivitate sedet, reus æterni ignis; unde nullo pretio redimi queat, nisi oblato Filio Dei. Demus Deo aurum nostrum, nihil erit: demus fundos et omnem substantiam, non sufficit: demus charissima pignora: demus vitam propriam, necdum satis est. Filius Dei quæritur. Et en Christus se pro nobis obtulit Patri, moriens in cruce, nosque libertati restituit. Cogita supplicia, rotas, furcas, rogos, equuleos, tormenta, quæ inferuntur maleficis, cum a magistratu deprehensi sunt, quam ea gravia et horrenda sint. Et quam multi talium rei non deprehenduntur! Quam multa scelera a magistratu etiam conscio minime plectuntur; siquidem fere ea tantum, quæ justitiam violant, mulcantur. Quid jam tot aliis aliorum scelerum patratōribus fiet? Nonne et ipsi sæpe capitis gehennæ rei sunt?

Sunt certe, sed en tibi lytrum redemptionis, Christum: *Accipe me, et redime te*, inquit. Celebratur passim inaudita charitas S. Paulini episcopi Nolani, qui cum sua omnia egentibus distribuisset, et a vidua rogaretur pro subsidio pecuniario ad redimendum filium Wandalorum captivitate, seipsum ei obtulit in servitutem pro filio, dicens: *Auri et argenti apud me relictum est nihil sed meipsum tolle: servum me juris tui proferre, atque ut filium tuum recipias, me vice illius in servitutem trade*. Id quod factum, redempto filio, ut scribit Sanctus Gregorius Magnus et Uranius presbyter ei familiaris, 22. junii, in Surio. Tanta hæc res fuit, ut femina se rideri putans, primo credere non potuerit episcopum serio loqui. Sed ecce rem magis miram. Non episcopus, sed Dei Filius se sibi in lytrum offert, uti obtulit in cruce, ad redimendam animam tuam a servitute dæmonis et morte æterna. Per illum namque te absolvit confessarius a tuis delictis. Ac licet relapsis pœna aliqua temporalis exsolvenda restet, eam etiam per Christum, applicando tibi ejus merita per satisfactionis opera, delere facile poteris. Tantum est hoc beneficium, ut propter id omnes angeli (quia nos non sufficimus) una cum beatis omnibus Deo laudem canere dicantur, Apocal. V. *Audivi vocem angelorum multorum in circuitu throni et animalium et seniorum: et erat numerus eorum millia millium, dicentium voce magna: Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem et divinitatem et sapientiam et fortitudinem et honorem et gloriam et benedictionem*.

IV. Quia nostrum in cœlo præmium, hoc est, objectum beatitudinis corporum gloriosorum, secundum suam humanitatem; sicut secundum divinitatem, erit objectum beatitudinis animarum et angelorum. Unde Ecclesia: *Se regnans dat in præmium*, peculiare videlicet et proprium beatorum post resurrectionem. De quo intelligendus Christus, Matth. XXIV. dicens: *Ubi cumque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ*, significans ita convoluturos ad se electos in die iudicii, sicut aquilæ convolant ad cadaver, ut inde pascantur. Eo totis viribus contendebat et aspirabat S. Job, hac una consolatione suos dolores leniens: *Scio quod redemptor meus vivit, et in carne mea videbo Deum Salvatorem meum*, c. XIX. Hinc tanta cum patientia inter vermes et ulcera in sterquilinio sedit, spe videndi Christum in gloria sua: similiter S. Paulus: *Desidero dissolvi et esse cum Christo*, Phil. I. S. Thomas Aquinas, jussus petere a Christo mercedem scriptionis suæ: *Non aliam, ait, nisi teipsum: etenim: In ipso sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi*, ad Coloss. II. Vani et ridiculi Judæi fingunt Leviathan maxi-

mum esse piscem, et pro ipsis reservari in alterum sæculum, ut justi inde saturentur: idque tam firmiter credunt plerique, ut suam partem non venderent, pro magna auri et argenti quantitate; ut testatur Hieronymus a S. Fide, ex Judæo Christianus, medicus Benedicti pp. XIII. anno 1412. in lib. I. contra Judæos, c. VIII. Sic nimirum simiæ illa illuduntur a diabolo, nos Christiani certissima veritate asserimus Christum fore electis, etiam secundum humanitatem suam, præmium in cœlo et quasi convivium perpetuum, omnibus deliciis instructissimum. Pro eo sibi parando, S. Ignatius martyr nihil non pati optavit: *Ignis, crux, bestia, confractio ossium, membrorum divisio, et totius corporis contritio, et tota tormenta diaboli in me veniant: tantum Christo fruar*. Beatos dixit regina Saba servos Salomonis, qui stant coram eo semper, et audiunt sapientiam ejus, III. Reg. X. sed quanto beatiore electi, qui non stabunt coram Christo velut servi, sed cum ipso mensæ acumbent, velut amici, omnium honorum ejus participes! Igitur et nos Christiani, si aquilæ, si ingenui sumus, et in cœlo sedem quærimus, toto pectore Christum amemus velut fratrem, cibum, pretium et præmium nostrum. Non demus partem nostram, quam in Christo habemus, alteri, pro totius mundi opibus; nec absterreant nos minæ et tormenta diaboli: *Tantum Christo fruamur*.

## CONCIO IV.

FIDES MELIOR AC BEATORUM QUAM SCIENTIA ET SENSUUM NOTITIA.

Melior fides, quam scientia et sensuum experientia. — I. Quia fides magis honorat Deum. — II. Quia fides certior. — III. Quia utilior est. — IV. Quia fides securior est. — V. Quia fides nobilior.

## THEMA.

Beati qui non viderunt, et crediderunt. Joan. XX.

Sponsa illa sancta suo cum sponso colloquium inchoans, ita canit: *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt ubera tua vino*, Cant. I. ver. I. quibus verbis desiderat sponsa, Ecclesia, vel etiam Beata Virgo, videre Dei Filium in carne, ut cum eo oretenus loqui, adeoque celestem ejus doctrinam possit excipere. Eam vero doctrinam comparat lacti; siquidem ac attingit ipsa ubera, e quibus sugat lac sapientiæ cœlestis, asseritque lac illud melius esse vino. Gregorius Nyssenus per vinum humanam sapientiam, per lac vero sapientiam divinam, ex uberibus sacrarum Scripturarum expressam intelligit, et recte: quia uti vinum, quod bibitur, oculis cernitur; lac vero

quod ex uberibus sugitur, minime videtur; ita quæ per humanam notitiam sciuntur, videntur, non ita quæ creduntur. Vinum ergo scientiam humanam, lac autem fidem denotat. Non desiderat sponsa vinum scientiæ et rationum humanarum, sed lac fidei potius. Id quod cum dicto Christi Domini in hodierno Evangelio adamussim convenit: *Beati qui non viderunt et crediderunt*, hoc est, beatiores, qui per fidem, quam qui per scientiam et oculos mysteria sacra intelligunt. Qua de re non parum gratulari nobis possumus, qui de Christo Domino quam plurima fide tenemus, quæ oculis non usurpavimus. Sed percontabitur aliquis, quare in hac vita melius et beatius sit fide divina mysteria credere, quam oculis et ratione cognoscere. Cui hic respondebimus.

I. Lac vino dulcius est, et fides scientia præstantior; quia magis Deo honorifica, majorem ei honorem et quasi dulcedinem affert. Primo, quia subijcit Dei quisque verbo intellectum, præstantissimam hominis partem. Honorificum regi est, si præcellentes duces sub jugum suum mittat, vel munitissimas arces expugnet, et in iis vexillum suum figat. Talis est intellectus humanus, qui per fidem in captivitate redigitur, in obsequium Christi, II. Corinth. X. et in quo vexillum fidei defigitur. Secundo, quia Dei veracitatem velut infallibilem extollit, dum ei fidem adhibet etiam in rebus difficillimis, quas nec oculis nec ratione capit. Præclarum et honorificum est homini, si quis ejus dictis certissimam habeat fidem sine ulla hæsitacione, et pro ea mori ac dira quæque perpeti non dubitet. Ergo Deo maximum dat honorem, qui solis ejus verbis tam firmiter adhæret, ut pro eorum veritate mori et cruciari paratus sit; sigillum enim quasi suum verbo Dei affigit, ut ejus veritatem omnibus contestatam faciat. Hinc Joannes Baptista dixit: *Qui accepit (Christi) testimonium* (illi scilicet credendo) *signavit, quia Deus verax est*, Joan. III. Græce habetur, *sigillavit*, quasi diceret: Fide sua, quasi sigillo, obsignavit et confirmavit veracem esse Deum Patrem, qui per Filium, quasi per os proprium, loquitur verissima, ut ibi exponit Cornelius. Est autem sigillum hoc non cereum, quod modico ignis calore solvitur; sed aureum, quod nec a vehementi igne consumi potest, imo purius efficitur. Hinc S. Augustinus, lib. II. contra epistolam Parmen. ait: « Quomodo catholici non clarificant Deum, qui promissa ejus nullis hominum sceleribus impediri posse confidunt? Qui sacramenta ejus tam debita veneratione prosequuntur, ut ea, si etiam ab indignis tractata fuerint, illis sua perversitate damnatis, illa intemperate sanctitate permanere demonstrent? » E con-

tra Deo honorem detrahunt, qui ejus dictis, quibuscumque tandem, fidem adhibere nolunt, ut ibidem expendit Augustinus, dicens: *Quomodo clarificant Deum, qui dicunt per orbem terrarum, impleri non posse ejus promissa?* Faciunt enim isti Deum fallacem et impotentem; quæ summa Dei injuria est. Quam enim indignum est, ut humanis testimoniis de alio credamus, Dei autem testimonio de seipso non credamus? Pythagoræ discipulis sufficebat assertio magistri sui, ut assensum darent, apud Cælium, libro XIX. et audebunt homines diffidere oraculis divinis? Hujusmodi erant et sunt hodie Sacramentarii, qui Joannis VI. dicebant: *Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum.* Certe David gravi bello et strage multorum millium ultus injuriam, quam acceperat ab Hannon rege Ammonitarum, qui fidem Davidis suspectam, et legatos ejus, ad consolandum eum missos, pro exploratoribus habuit, I. Reg. X. quanto gravius est fidem ipsius Dei in dubium, aut dicta ejus ad trutinam revocare? Duplici ignominia affecerat Hannon legatos Davidis, adeoque interpretative ipsum Davidem, cujus illi personam gerebant: nam barbas eis media ex parte raserat, et vestes talares ad dimidium præciderat. Nihilominus faciunt Deo, qui ejus fidei derogant: nam barbæ, hoc est veracitati, et talari vesti, hoc est omnipotentia ejus detrahunt. Nemo honestorum virorum barbam sibi ab altero tangi, nedum velli patitur, et patietur illud Deus? Certe Moyses jussus a Deo petram percutere ad eliciendam aquam, cum in hoc negotio dubitanter loqueretur: *Num de petra hac vobis aquam poterimus ejicere?* Dei manum in se provocavit, adeo ut propter hoc mori in deserto debuerit, et aspectu terræ sanctæ privari una cum Aarone: Quia non credidisti mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis, Numerorum XX. Ecce qui credunt Deo, sanctificant eum: qui non credunt, derogant illi. Non dubitavit Moyses de Dei omnipotentia ad eliciendam aquam, sed de bonitate ejus, an populo tam præfracto tantum exhibiturus esset beneficium, ut observat ibi Cornelius. Multo gravius est in dubium revocare Dei veracitatem et omnipotentiam; quod aliud non est, quam immensum pelagus in parvum scrobem velle includere.

II. Lac vinum candore multis gradibus superat; quid enim lacte candidius? Candor veritatis, uti nigror falsitatis typus est: veritas diei, falsitas et mendacium nocti comparatur. Fides etiam veritatis certitudine superat rationem et sensus humanos. Hi enim æque ac ratio persæpe fallun-

tar, uti constat; at fides nequaquam, quia innititur verbo Dei, qui nec falli nec fallere potest. De ratione humana testatur Sapiens, Sap. IX. *Cogitationes* (Græce, *ratiocinationes*) *hominum timidae, et incertæ providentiæ nostræ*, indicans scientiam hominum, præsertim de rebus humanis, admixtam habere formidinem, adeoque non tam scientiæ quam opinionis mereri nomen. Hinc paucas habemus demonstrationes, non solum practicas, sed etiam theoreticas. Generalis enim ea est conditio ingenii nostri, ut ad ea, quæ manifestissima sunt, se habeat, sicut vespertilionum oculi ad lumen diei, teste philosopho, II. metaphys. tom. I. Provenit ea sciendi difficultas partim ex rerum ipsarum subtilitate, partim ex intellectus nostri tenuitate; quæ in obtusis quibusdam ingeniis maxima plane est. Unde male cum genere humano actum fuisset, si mysteria divina sibi revelata, intellectu comprehendere ex Dei præcepto debuisset. Sensus etiam humani sæpissime decipiuntur, uti patet in visu, qui solem putat stare, nec majorem rotula aratri esse, baculum rectum in aqua fractum intuetur, etc. Fides quidem ex auditu est; sed hic præ reliquis sensibus omnium certissimus, ut patet in Isaac, qui explorans filium suum Jacob, in omnibus sensibus deceptus fuit, præterquam in auditu. Erravit in visu, quia caligaverant oculi ejus; in odoratu, quia percipiens odorem Jacobi, dicebat: *Ecce odor filii mei*, nempe Esau, *sicut odor agri pleni*; in gustu, quia domesticos cibos provenaticis edebat; in tactu, quia pelles hædinas reputabat esse pilosas manus Esau; solo auditu non erravit, dum ait: *Vox quidem vox Jacob est*, Gen. XXVII. Unde S. Bernardus, serm. XXVIII. in Cant. ait: *Sapiens fuit Isaac, sed tamen erravit in sensibus: solus habet auditus verum, qui percepit verbum.* Cum ergo fides in se certissima et infallibilis, ex asserente et revelante Deo, per auditum habeatur, sensum maxime certum, inde certitudo fidei firmissima existit, adeo ut fides, ob suam infallibilitatem, sæpe scientia appellatur; uti a Samaritanis illis, Joan. IV. *Ipsi enim audivimus et scimus, quia hic est vere Salvator mundi.* Unde illis hæc scientia, nisi ex verbis et prædicatione Christi, quam audierunt? Idem videre est Isa. LIII. ̄. XI. Luc. I. ̄. XVII. Sicut enim scientia est certa, ita et fides, imo longe magis; quia scientia innititur ratione humana, quæ falli potest: fides divina, quæ falli nequit. Illa ex lumine naturali, hæc ex infuso habet certitudinem.

III. Lac utilitate et nutriendi facultate vino longe præstat: cibat enim et potat, ut patet in infantibus; cum vinum non nisi sitim sedet. Similiter et fides utilior nobis est, quam scientia;

quia habet meritum propter obscuritatem et invidentiam suam. Unde S. Gregorius, homilia XXVI. in evang. ait: *Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum*: et S. Augustinus, in Ps. CIX. *Quæ esset merces fidei, nisi lateret quod credimus?* Designata proinde fuit in terram promissam, de qua Psalm. LVIII. dicitur: *In columna nubis loquebatur ad eos.* Columna enim illa et firmitatem indicat, quia columnæ speciem habebat, et obscuritatem, quia ex nube erat. Ad nos etiam loquitur Deus in columna nubis, hoc est, in fide, quæ simul certitudinem seu firmitatem, et obscuritatem seu invidentiam continet; firmitatem, ne fluctuemus; invidentiam, ut mereamur. Quam ob causam requirit fides piam quamdam voluntatis affectionem, quæ inclinet eam, ut velit credere et captivare intellectum ad credendum id, quod ipsi obscurum est; adeoque quamdam complectitur obedientiam ad submittendam rationem humanam, quæ certe suum habebit meritum, et quidem maximum, quia nobilissimas duas hominis potentias in obsequium Dei inflectit, intellectum scilicet et voluntatem. Porro meritum fidei præcipuum est illud, quod asserit S. Augustinus, tr. XXVII. et XL. in Joan. *Fides est credere quod non vides*, ait, *cujus veritas et merces est videre, quod credidisti.* Quidquid igitur fide tenemus, id pro mercede in cælo coram intuebimur ac consequemur. Significatum id est per velum sanctuarii, dividens sanctum a sancto sanctorum, Exod. XXVI. quod in morte Christi scissum est. Sic enim fides dividit Ecclesiam militantem a triumphante, eaque in morte cujusque scindetur, et tunc apparebit id, quod nunc credimus, sanctum scilicet sanctorum.

Præterea etiam fides nihil non impetrat a Deo, ut patet in Chananæa gentili, quæ a Christo tandem audita, impetravit quod voluit; licet Christus non ad gentiles, sed ad Judæos tantum missum, se esse diceret, Matth. XV. Nimirum, ejus fides magna postulatum a Christo extorsit, uti indicat Christus dicens: *O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Erat autem, mulier illa e finibus gentilium egressa, ut Christo obviaret: ita qui e finibus intellectus humani et rationis naturalis egrediuntur, altiusque tendunt, divina auctoritate nixi, impetrant quod volunt. Eadem via Rahab salutem sibi et domui suæ obtinuit, fide videlicet, ut ait apostolus Hebræorum XI. vers. XXXI. dum credidit terram suam Judæis a Deo traditam et ab ipsis expugnandam atque occupandam fore, Jos. II. Denique, ipse Dominus, Marci IX. dixit: *Omnia possibilia sunt credenti,*

hoc est, si credas, omnia a me impetrare poteris: et Matth. XVII. addidit: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, (hoc est, humilem simul et ardentem) dicetis huic monti: Transi hinc illuc, et transibit: et nihil impossibile erit vobis.*

IV. Lactis potus securior est quam vini: hoc enim inebriat, illud minime. Pari modo fides securior est quam scientia, nam scientia inflat, ait apost. I. Corinth. VIII. fides autem mentem et rationem humiliat, dum divinæ auctoritati subjicit et in captivitate redigit, ei persuadens, quod in rebus cœlestibus et supernaturalibus infans et cæca sit. Quo magis crescit periculum superbiæ et proterviæ: e contra, quo magis quis in fide proficit, eo magis in humilitate fundatur. Periculum scientiæ exprimitur Ps. CXXX. iis verbis: *Si non humiliter sentiebam sed exaltavi animam meam: sicut ablactatus est super matre sua, ita retributio in anima mea, hoc est, si alte nimis sensi et sensui meo tribui, abjiciar a Deo, velut infans a lacte matris.* Tales enim, alta nimis sapientes, perdunt tandem et abjiciunt fidem, vel abjiciuntur ab ea potius. Vinum, non lac, bibere voluit Pilatus, quando altam nimis captique suo sublimiorem proposuit questionem: *Quid est veritas?* quasi e Christo velut e philosopho sapientiam ejus audire vellet. Unde S. Bernardus, serm. XXIII. ex parvis, in eum locum scribit: *« Sicut qui mel comedit multum, non est ei bonum (Prov. XXV.); ita qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria. Quid tu, Pilate, seorsum interrogas Dominum; ut tibi susurret in aurem: Quid sit veritas? Multum est ad te, non dabitur sanctum cani, neque margarita porco. Quære potius fidei justum, satietatem intelligentiæ interim ne requiras. Merito autem, fratres, reverberata acie protinus resiluit, et responsum non sustinens; egressus est ad Judæos, quia ambulare cœperat in magnis et mirabilibus super se, quid esset veritas, percontatus. »* Quæ postrema verba sumpsit ex prædicto psalmo, exponens eum de iis, qui scientiam potius quam fidem sectantur. Non pauci docti viri perdidit fidem, et in hæresin lapsi sunt, quia veritatem non per fidem, sed per suum ingenium et humanas retinuculas investigare conati sunt.

V. Lac vino nobilior est liquor; hoc enim planta solum, illud vero ab animante et homine gignitur atque exprimitur. Fides etiam scientiam nobilitate præcedit, quia versatur circa res cœlestes et divinas, cum scientia tractet tantum terrenas et humanas. Nimirum voluit nos Deus per fidem inducere non solum ad cognitionem, sed etiam ad amorem rerum supernaturalium, ut spretis his terrenis, ad superna illa cœlestis pa-

triæ nostræ bona evolaremus; quæ cum omnem intellectum superent, necessario per fidem, ad eorum cognitionem elevari debemus. Unde S. Bernardus, in Cant. ait: *« Quid non inveniat fides? Attingit inaccessa, deprehendit ignota, comprehendit immensa, apprehendit novissima: ipsam denique æternitatem suo illo vastissimo sinu quodammodo circumcludit. »* E contra scientia et sensus humanus humi repens non nisi terrena et sublunaria, eaque imperfecte nobis ostendit atque exhibet: *Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ non videntur, æterna, ait apostolus, II. Corinth. IV. Videntur autem hæc per fidem, quasi per speculum in ænigmate, ut ait idem, I. Corinth. XIII. hoc est, obscure quasi per cancellos, sicut merces in officinis mercatorum videntur modo aliquo per crates vimineas aut ferreas. Fides ergo, velut aquila, cœlestia et æterna contemplatur, et consecranda proponit; scientiam vero et sensus hominis velut scarabeus in luto volutatur, et terrena solum ac fluxa pertractat. Fides oculus dexter est, quo uti nos decet in militia hujus vitæ ad tuenda et quærenda cœlestia: scientia vero sinister, clypeo tegendus, pugnamus, juxta id II. Cor. IV. *Non contemplantibus nobis, quæ videntur (terrenis scilicet) sed quæ non videntur (cœlestibus).* At vero hostis humani generis imitatur regem illum Ammonitarum, Naas; qui non alia lege fœdus cum viris Jabes Galaad voluit ferire, nisi erutis eorum oculis dextris, I. Reg. XI. quo scilicet ad bellandum et sibi resistendum inutiles redderentur. Cum enim in pugna clypeos manu sinistra gererent, necesse erat ut sinistris oculis, clypeo tectis, impedirentur, quominus viderent hostem, et sine errore inferrent aut declinarent plagam. Quare dextris effosis oculis, perinde erat, atque si cæci forent. Idem ergo molitur Satan cum hominibus, ut exponit S. Bonaventura, in diæta salutis, tit. de virtut. c. II. *« Fides (inquit) comparatur oculo dextro; sinister oculus est ratio, quæ solum de naturalibus judicat: dexter vero est fides, quæ omnia tam naturalia quam miracula determinat, et intellectum in obsequium Christi captivat, ut dicit apostolus, II. Cor. X. Et sicut qui amisit oculum dextrum, inutilis est ad bella, quia scutum operit sinistrum, et sic nullum habet oculum, quo videat ferire, aut cavere adversarium; sic qui non habet fidem, inutilis est ad pugnam spiritualem. Unde Naas dicit hominibus, vel viris Jabes Galaad: In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium oculos dextros. Naas interpretatur serpens vel coluber, et signat serpentem antiquum, id est, diabolum, qui nititur eruere oculum dextrum, id est, fidem, ut ad bellum spiri-**

tuale hominem reddat inutilem. » Et quidem qui cum hoc Naas, seu serpente venenato, fœdus inierit, eique subesse potius elegerit, quam cum eo ad mortem usque pugnare, oculum dextrum jam effossum habet, qui cœlestia neque videt neque curat, adeoque vitam pecorum potius quam hominum vivit, oculo suo sinistro non nisi terrenam spectans et desiderans. Incidit hic in opprobrium, quod inferre conabatur Naas viris Jabes Galaad, dicens: *Ponam vos opprobrium in universo Israel.* Turpissimum enim est non modo coram Deo et angelis, sed etiam coram hominibus hominem celo natum abjicere se ad pastum, velut mutæ animantes, et belluinam vitam degere. Talis fuit Nabuchodonosor, Dan. IV. cui datum est cor feræ, ut fœnum velut bos comederet, neque præter fœnum aliud cogitaret, donec datus est illi oculus dexter, quo Deum agnovit et cœlum aspexit. Talis fuit etiam sinister ille latro, qui sinistro solum oculo præditus, non nisi ea, quæ ad hanc vitam spectabant, exposcebat: *Si tu es salvum fac temetipsum et nos, hoc est, libera te et nos a cruce, ut vitæ hujus bonis frui possimus.* Contra vero dexter, dextro oculo instructus, non nisi cœlestia spectabat: *Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum, de terra et vita ista nihil jam sollicitus.* Ille igitur infideles, hic fideles representat. Cum hoc, vos auditores, custodite fidem vestram. Nolite inebriari vino scientiæ terrenæ sed potius: *Velut modo geniti infantes, rationale, sine dolo, lac (fidei) concupiscite, ut in eo crescatis in salutem, I. Petr. II.*

## CONCIO V.

## QUOMODO EXCIPIENDUS IN S. COMMUNIONE CHRISTUS VERBIS S. THOME.

Christus in s. communionem accipiendus. — I. Cum affectu intensæ fidei. — II. Cum affectu pudoris. — III. Cum affectu humilitatis et reverentiæ. — IV. Cum affectu gaudii spiritualis. — V. Cum affectu amoris.

## THEMA.

*Dominus meus et Deus meus. Joan. XX.*

Quando aliquis magnum adire dominum vult, primum omnium cogitat vel interrogat: Quid loquar, et quid dicam ei? Sic Moyses missus ad filios Israel a Deo, interrogat primum: *Quid dicam eis?* et Dominus ad eum: *Sic dices: Qui est misit me ad vos, Exodi III. Post paucos dies plerique nostrum adituri sunt dominorum Dominum in s. communionem, et cum eo cœnaturi. Prima rogatio sit: Quid loquar et quid*

dicam ei? Aliqui existimant longas sibi preces esse recitandas; quæ tamen, quo longiores, eo fere leviores sunt, et ob evagationes Deo molestiores. Magni sane Domini non libenter audiunt multa, sed pauca et sapientissima verba. Unde etiam Christus, Matth. VI. *Orantes nolite multum loqui, sicut ethnici: et Paulus I. Cor. XIV. In ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui, quam decem millia verborum in lingua.* Juxta expositionem S. Anselmi vult dicere: Malo in ecclesia quinque verba loqui, quæ intelligam, quam decem millia, quæ non intelligam. Quinque igitur verba loquimur in Ecclesia, cum accedimus ad Christum, quæ tamen intelligamus. Ea nobis in ore nostro ponit S. Thomas in hodierno evangelio, nimirum: *Dominus meus et Deus meus.* Quinque omnino verba, sed prægnantia et sapientia; quæ quidem clara in se sunt, quia tamen magno Spiritus impetu prolata, ideoque incompleta sunt, varios affectus significant, vehementes et impetuosos, quos nunc declarabimus.

I. Affectum indicant intensæ fidei, quam clare intrepide profitetur, vere nimirum resurrexisset Dominum, et quod inde sequitur, esse verum Deum. Tametsi enim sensibus apprehendit Christum redivivum, nihilominus tamen credidit et firmissime quidem, hunc eundem, qui crucifixus et mortuus fuit, esse resuscitatum, necnon Deum ac Dominum suum. Unde S. Gregorius, hom. XXVI. ait: *Aliud vidit, aliud credidit: hominem vidit, sed Deum confessus est:* Deum non vidit, neque quod propria virtute se suscitavit. Abjecit ergo mox hoc judicium sensuum, et amplexus est fidem. Nos quoque ante omnia cum communicamus, eliciamus actum fidei, nec jam cum incredulo Thoma sensus nostros interrogemus, quia Christus dixit: *Beati, h. e. beatiiores, qui non viderunt et crediderunt, sed potius cum fideli Thoma altius ascendamus, credendo in eucharistia esse verissime Deum ac Dominum nostrum, scilicet cum divinitate et humanitate sua; necnon divina virtute se posuisse ibi, ubi prius erat panis. Aliud ergo dum videmus (species nimirum panis) aliud credamus, verum scilicet Christum Deum ac hominem sub illis latentem, sicque sensuum carnalium involucria deponamus. Docuit hoc Deus typice in Moyse, cum ostendit illi rubum ardentem, incombustum. Magna enim certe res est rubus ardens, incombustus tamen; sicut etiam Christus in eucharistia, manentibus panis speciebus illesis. Ibi ignis circumdedit quidem rubum, non tamen inflammavit, nec consumpsit; quia Deus per miraculum suspendit ignis actionem negando ei concursum suum: hic in eucharistia sub specie panis continetur corpus Christi, nec tamen eam*